

De

# **Aeschyli re scenica.**

PARS III.

Scripsit

**Dr. Julius Sommerbrodt.**

Accehlyli re sceniea.

PARS III

Dr. Julius Sommerhoff

## De arte histrionum.

Est quaedam, ut ait Plato, tamquam annulorum series, qua poetae cum iis qui carmina eorum audiunt ita sunt conjuncti, ut summum locum obtineant poetae, medium rhapsodi, choreutae, histriones, imum auditores atque spectatores.<sup>1)</sup> Sunt igitur rhapsodi, choreutae, histriones medii inter poetas et auditores collocati poetarum interpretes,<sup>2)</sup> quibus hoc maxime est efficiendum, ut scripta eorum recte et ut ipsi voluerunt poetae intelligantur.

Et haec quidem interpretandi ars, quae voce et motu continetur,<sup>3)</sup> in pronuntiandis, imitandis, exprimendis poetarum carminibus posita quum dramatica inprimis poesi exculta sit, ab agendo nominata est actio. In quo tamen hoc maxime est cavendum, ne quis, ut vulgo erratum est,<sup>4)</sup> ipso nomine deceptus solius eam scenicae poesis propriam aut cum ea demum natam esse iudicet. Immo vero actio illa cum ipsa poesi tribusque eius, quae se deinceps exceperunt generibus inchoata, aucta, perfecta, non minus in epicis et lyricis carminibus interpretandis versatur, quam in scenicis.

1) Jon. p. 535. E. 536. A. Οἷσθα οὖν οὐ οὐτός ἐστιν ὁ θεατῆς τῶν δακτυλίων ὁ ἔσχατος, ὃν ἐγὼ ἔλεγον (p. 533. D.) ὑπὸ τῆς Ἡρακλειώτιδος λίθου ἀπ' ἀλλήλων τὴν δύναμιν λαμβάνειν; ὁ δὲ μέσος σὺ ὁ ῥαψωδὸς καὶ ὑποκριτής, ὁ δὲ πρῶτος αὐτός ὁ ποιητής; ὁ δὲ θεὸς διὰ πάντων τούτων ἔλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἂν βούληται τῶν ἀνθρώπων ἀποκρεμαννὺς ἐξ ἀλλήλων τὴν δύναμιν.

2) Jon. p. 530. C. τὸν — ῥαψωδὸν ἐρμηνεῖα δεῖ τοῦ ποιητοῦ τῆς διανοίας γίγνεσθαι τοῖς ἀκούουσι. p. 535. A. Οὐκοῦν ὑμεῖς αὖ οἱ ῥαψωδοὶ τὰ τῶν ποιητῶν ἐρμηνεύετε;

3) Cic. Orator c. 17 § 55. Est — actio quasi corporis quaedam eloquentia, quum constet e voce atque motu. Quintil. inst. Orator. XI. 3. 14. Omnis actio — in duas divisa partes, vocem gestumque, quorum alter oculos altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus.

4) Nuper etiam in hunc errorem incidit vir sagacissimi ingenii G. Nitzsch, de historia Homeri fasc. II. p. 120 qui rhapsodiam a gestu motuque immunem fuisse iudicat, eumque secutus est Bähr in Pauly, Realencyklopädie v. ῥαψωδοί, quum dicit: „Sein (des Rhapsoden) Vortrag ist rhythmisch, aber ohne Begleitung von Musik und Aktion.“ Cf. p. LXXXVII.

Idque recte dici vel ex eo intelligitur, quod *ὑπόκρισις*, quae idem significat quod actio, non solum histrionum et choreutarum est, sed etiam rhapsodis tribuitur atque adeo ad eos refertur, qui quae prosa oratione scripta sunt recitant. Testis est Athenaei locus XIV. 620 d. *Ἰάσων δ' ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἀλεξάνδρου ἱερῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ φησὶν ἐν τῷ μεγάλῳ θεάτρῳ ὑποκρίνασθαι Ἡγησίαν τὸν κωμωδὸν τὰ Ἡροδότου, Ἐρμόφαντον δὲ τὰ Ὀμήρου.* Testis Timaeus, qui plane et simpliciter rhapsodos vocat epicorum carminum actores (*ῥαψῳδοὶ ὑποκριταὶ ἐπῶν*). Neque id mirum poterit esse, si quis, quae sit ipsius vocis vis ac potestas, accurate consideraverit. Ut enim apud Homerum (II. V. 150.) *κρίνεσθαι ὀνείρους* est cernere vel interpretari somnia, sic *ὑποκρίνεσθαι* est interpretari quae ab aliquo sunt proposita vel supposita.<sup>1)</sup> Itaque recte id cum ad alia permulta tum ad omnia poesis genera referri sponte patet.

Quodsi *ὑπόκρισις* non unius est poesis scenicae sed ad omnia omnino genera pertinet, idem cadere apparet in actionem. Est igitur triplex actionis genus, epicum rhapsodorum, lyricum vel melicum choreutarum, dramaticum histrionum. Et inchoata quidem actionis ars a rhapsodis, qui in pronuntiandis carminibus non poterant carere vocis potissimum praesidio, aucta et amplificata per choreutas, qui et facta deorum heroumque et sua ipsorum sensa cantu atque saltatione exprimebant, perfecta per tragoediarum et comoediarum histriones, qui hominum mores imitantes ab agendo, in quo artis cardo versatur, appellati sunt actores.

Jam vero ut actionem Cicero recte comparat cum eloquentia eamque corporis vocat eloquentiam,<sup>2)</sup> sic actionis illa tria, quae diximus, genera cum eloquentiae tribus illis generibus<sup>3)</sup> non inepte possunt conferri, cum tenui dicendi genere epica actio, quae solum doceat quid sit illud, quod agatur, cum medio melica, quae effingenda sensorum varietate et veritate delectet, dramatica, maxime tragica, cum grandi, quae non solum doceat et delectet, sed etiam flectat spectantium animos et in suas partes abripiat. Atque quemadmodum non potest delectare is orator, qui non idem clare et perspicue doceat, non potest flectere animos hominum, qui non et probare suam rem possit et oblectatione sibi conciliare audientes, sic histrio in tragoedia comoediave non potest valere actione, nisi si et epicae et lyricae actionis, quibus tamquam superstructa est ipsius ars, sit peritissimus, et quid commune sit omnium, quid proprium singularum, accuratissime habeat perspectum.

1) Cf. Herodot. I. 107. *ὑποθέμενος δὲ τῶν Μάγων τοῖσι ὀνειροπόλοισι τὸ ἐνύπνιον ἐφοβήθη παρ' ἀντίων ἀντὰ ἕκαστα μαθών*, interpretabantur (*ὑποκρίνεσθαι*) enim illi quod rex supposuerat (*ὑποθέσθαι*) somnium; ubi minime *ὑποθέμενος* mutandum est in *ὑπερθέμενος*.

2) Cic. Orator c. 17 §. 55.

3) Cic. Orator c. 4. §. 20.

Quae quum ita sint, priusquam de dramatica actione, sive de histrionum arte exponamus, epicae lyricaeque actionis tanquam lineamenta describere opus est. Quod ne nimis religiose putideve facere videamur, hoc probe tenendum est, longe in hac re veterum iudicia a nostrorum hominum sentiis discrepare. Nam veteres quidem, Graeci potissimum, in nulla arte sine doctrina quidquam profici rati, quamquam Aristoteles<sup>1)</sup> in histrionibus recte statuit plus valere naturam quam doctrinam, tamen ne hanc quidem leviolem artem voluerunt carere disciplina, sed summo opere elaboraverunt, ut naturam doctrina regerent, emendarent, sustentarent. Nostri homines in hac una arte soli genio, credo, indulgendum esse opinati eo jam deduxerunt rem, ut nulla hodie exstet histrionum ars utque, licet singuli in singulis fabulis magis minus inveniantur idonei ad tuendas quas susceperunt partes, tota quaedam fabula nunquam fere talis in scena conspiciatur, qualem eam poeta et animo concepit et cogitatione informavit. Quo factum est, ut apud nos quidem theatra jam nil sint, nisi levissimae delectationis consistoria, non sint quod et esse debent et apud Graecos fuerunt<sup>2)</sup> et olim apud nos quoque fieri Goethii Schillerique voluit ingenium, eruditionis atque humanitatis seminaria.

1) Aristot. Rhetor. III. 1. καὶ ἔστι φύσεως τὸ ὑποκριτικὸν εἶναι καὶ ἀτεχνότερον.

2) Aristoph. Ranae v. 1054. ed. Fritzsche.

### De actione epica sive de rhapsodorum actione.

Et rhapsodorum quidem ars qua re confineatur graeco vocabulo significatur *διατιθέναι*, sicut Plato docet de legg. II. p. 658. D. *ῥαψοδὸν — καλῶς Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἢ τι καὶ Ἡσιοδείων διατιθέντα τάχ' ἂν ἡμεῖς οἱ γέροντες ἤδιστα ἀκούσαντες νικᾶν ἂν φαίμεν.* Quod quum omnibus omnino carminum actoribus tribuatur (Plato Charmid. p. 162. D. *ἀλλά μοι ἔδοξεν ὀργισθῆναι αὐτῷ ὥσπερ ποιητῆς ὑποκριτῆ κακῶς διατιθέντι τὰ ἑαυτοῦ ποιήματα.*<sup>1)</sup> Diodor. Sicul. XV. 7. *ὁ δὲ Διονύσιος τῆς εἰς τὰ ποιήματα σπουδῆς οὐκ ἀφιστάμενος εἰς μὲν τὴν Ὀλυμπιακὴν πανήγυριν ἐξαπέστειλε τοὺς εὐφρονωτάτους τῶν ὑποκριτῶν διαθησομένους ἐν τοῖς ὄχλοις μετ' ᾧδῆς τὰ ποιήματα.*) facile intelligitur, in eo primum inesse omnis actionis munus atque officium. *Διατιθέναι* vero quid aliud est quam disponere? Disponere autem quum rhapsodi dicuntur Homeri Hesiodique carmina quid aliud sibi vult, nisi eos in recitandis carminibus suo quidque loco collocare? Jam quum minime sit rhapsodi mutare vel alio loco ponere, quae a poetis composita sunt, rhapsodorum dispositio non potest referri nisi ad aptam carminum pronunciationem.<sup>2)</sup> Aptae autem ut possint pronuntiari carmina, inprimis opus est, ut recte ab eo, qui ea interpretari velit, intelligantur. (Plato Ion. 530. *οὐ γὰρ ἂν γένοιτο ῥαψοδός, εἰ μὴ συνείη τὰ λεγόμενα ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ*). Recte vero intellecta is rhapsodus iudicabitur ut par est disponere (*διατιθέναι*)

- <sup>1)</sup> Cf. Plutarch quaest. conviv. IX. 15 c. 2. T. II. p. 912. ed. Paris. *σχήματα* (appellant) *σχέσεις* καὶ *διαθέσεις*, εἰς ἃς φερόμεναι τελεντῶσιν αἱ κινήσεις, ὅταν Ἀπόλλωνος ἢ Πανὸς ἢ τινος Βάκχης σχῆμα διαθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἶδεσιν ἐπιμένωσι. Poll. IV. 113. *Εἰσὶ δὲ ἀπὸ τούτων καὶ ὑποκριταὶ καὶ ὑπόκρισις καὶ ἀντίκρισις καὶ ὑποκρίνεσθαι τὰ ἱαμβεῖα, διαθέσθαι, σχηματίζεσθαι κ. τ. λ.* Plutarch. quaest. conviv. VII. 8. c. 1. T. II. p. 867. *πρόσεστι δὲ ὑπόκρισις πρόπουσα τῷ ἡθεῖ τῶν ὑποκειμένων προσώπων καὶ φωνῆς πλάσμα καὶ σχῆμα καὶ διαθέσεις ἐπόμεναι τοῖς λεγομένοις.*
- <sup>2)</sup> Plutarch. Demosth. c. 7. *μεταλαβόντα τὸν Σάτυρον, οὕτω πλάσαι καὶ διεξελθεῖν ἐν ἡθεῖ πρόποντι καὶ διαθέσει τὴν αὐτὴν ᾄδην ὥσθ' ὅλος εἰέραν φανῆναι. πεισθέντα δὲ — μικρὸν ἡγήσασθαι — τὴν ἄσκησιν ἀμελοῦντι τῆς προφορᾶς καὶ διαθέσεως τῶν λεγομένων.*

carmina, qui ore facili, explanato, jucundo<sup>1)</sup> eo quaeque vocis temperamento, ea signorum (σημεῖα) quorundam perspicuitate<sup>2)</sup> pronuntiabit, ut omnia facile intelligantur, quemadmodum ea intelligi voluit poeta. Veluti moram adhibebit, ubi morari vult poeta audientes, cito properabit, ubi celeri impetu fertur oratio, efferet voce, quae graviora sunt, quae sunt leviora reprimet. Neque solum primariae carminum partes eo vocis artificio sunt distribuendae ac temperandae, ut quid majoris, quid minoris sit momenti appareat, sed eadem in singulis majorum partium particulis, in singulis enuntiatis, vocibus adhibenda est ars, omnia denique deinceps vel levioribus vel gravioribus lineamentis ita sunt definienda, ut qualia descripta sunt a poetis talia conspiciantur. In quo tamen vel maxime servanda est epici carminis natura ac proprietas, quippe cujus non hoc sit, ut is qui pronuntiet ipse aut sentire aut agere videatur ea, quae dicantur aut fiant, sed id solum, ut quae ab aliis dicta factaque sunt quam maxime fieri potest plane et dilucide enarrentur. Quod si probe tenebimus simul intelligemus, cur summa in gestibus adhibenda sit moderatio, cur non tam figuris<sup>3)</sup> (σχήματα) quibusdam ut choreuta ad imitandum utatur rhapsodus, (Arist. poet. c. 26. § 2. οὐδὲν δέονται [rhapsodi] τῶν σχημάτων), quam indiciis (σημεῖα), quibus quasi digito commonstret, quae in poetae carmine sint contuenda. Esse autem a rhapsodis nimio quodam signorum usu nonnunquam peccatum, Aristoteles poet. c. 26. § 3. his verbis: ἔστι περιεργάζεσθαι τοῖς σημείοις καὶ ῥαψοδοῦντα, ὅπερ ἐποίηε Σωσίστρατος καὶ διδάδοντα, ὅπερ ἐποίηε Μνασίθεος ὁ Ὀπούννιος testatur, quo loco vix dubium esse potest, quin de gestuum signis, non de vocis quadam significatione agatur.

Est igitur praecipua rhapsodorum laus in ea modestia posita, quae nihil antiquius habeat, nisi ut quae recitaturi sunt carmina probe intelligant probeque intellecta nude, recte, perspicue pronuntient nihilque caveant diligentius, nisi ne unquam rhapsodum potius quam poetae carmen audire videamur. Itaque satis est rhapsodo praeter ipsam carminum, quae recitat, intelligentiam, summam operam dare vocis conformationi, addito modico quodam gestuum adjumento, quibus non tam imitetur res, quam indicet ea, quae cerni ab auditoribus ad recte intelligenda carmina maxime videatur necessarium.

1) Cf. Quintil. instit. orator. XI. §. 30. sq.

2) Minus recte de hac re videtur judicasse vir doctissimus G. G. Nitzsch (de historia Homeri fasc II. p. 120), quum signa illa (σημεῖα), quibus rhapsodos usos esse scimus ex Aristot. poet. c. 26. § 3., dicit esse vocis significationem. Cf. p. LXXXIII.

3) Cf. de actione melica sive de choreutarum actione.

### De actione melica sive de choreutarum actione.

Actionis melicae et epicae communis est vocis conformatio, eo tamen discrimine, quod choreutarum vox musica accedente, cujus prope nullae in epico carmine sunt partes, non solum versuum numeris, sed etiam modorum varietate temperatur, ita ut minus ab ipsorum iudicio suspensa sit modulatio. Quamobrem si canendi facultatem excipias haud exiguam illam quidem, minus fere est in choricis carminibus pronuntiandi artificium quam rhapsodorum. Latius vero multo apud choreutas ea patet actionis pars, quae motu continetur. Nam quoniam in choricis carminibus non solum enarrantur quae facta sunt, sed quid de iis chorus ipse sentiat exprimitur, ad hos innumeros animi motus interpretandos majorem accedere necesse erat actionis vim ac pondus. Atque quum oculi ad credendum magis sint idonei quam aures, quumque corporis membra promptissima sint ad quasvis animi perturbationes vel sponte exprimendas, praeter musicam addita est saltatio.<sup>1)</sup>

Qua re ne offendamur, quum apud nostros homines saltare nihil fere sit aliud, quam ad certos quosdam numeros incedere aut magis minus artificiosos nectere gyros, hoc probe tenendum est, apud veteres Graecos longe aliam eam fuisse artem eamque, quippe quae ex imitatione nata esset, in imitatione eorum, quae canebantur, positam fuisse. (Plato legg. VII. 876. a. *μίμησις τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένη τὴν ὀρχησιν ἐξεργάσατο*. Aristot. poet. c. 1. καὶ γὰρ οὗτοι [οἱ ὀρχησταὶ] διὰ τῶν σχηματιζομένων ἑνθμῶν μιμοῦνται καὶ ἦθη καὶ πάθη καὶ πράξεις). Eaque ars ab antiquissimis temporibus cum chororum cantu conjuncta palaestrae exercitationibus mirifice aucta quantopere fuerit jam ante inventam dramaticam poesin exculta, populares illae multae demonstrant saltationes mimicae, quarum mentio fit apud Athen. I. 22. B. *ὀρχήσεις δὲ ἐθνικαὶ αἶδε Λακωνικαὶ Τροϊζηνικαὶ καὶ Ἐπιζεφύριοι, Κρητικαὶ, Ἰωνικαὶ Μαντινικαὶ, ἃς προκρίνει Ἀριστόξενος διὰ τῶν χειρῶν κίνησιν* quarumque nonnullas Lucianus libello de saltatione composito describit.<sup>2)</sup> Luculentius etiam documentum

1) Serv. ad Virgil. Ecl. V. 73. *Cantus ad animum, saltatio ad mobilitatem pertinet corporis.*

2) De saltatione c. 8. sqq.



illud ὑπορχημάτων genus exhibet, Cretensium peculiare<sup>1)</sup>, Apollini consecratum, quod Pindari temporibus maxime floruisse scimus. Athen. I. 15. D. ἐν τῇ Ὀπλοποιίᾳ δὲ παιδὸς καθαρίζοντος ἄλλοι ἐναντίοι ἀλλήλοισι μολπῇ τε ὀρχήθουσιν τε ἔσκαιρον. ὑποσημαίνεται δὲ ἐν ταύτοις ὁ ὑπορχηματικός τρόπος, ὃς ἤνθησεν ἐπὶ Ξενοδήμου καὶ Πινδάρου καὶ ἔστιν ἡ τοιαύτη ὀρχησις μίμησις τῶν ἐπὶ τῆς λέξεως ἐρμηνευομένων πραγμάτων. Huic enim saltationis generi praeter cetera uni hoc erat proprium, ut ad eantum saltarent choreutae utque pedum non solum sed etiam manuum gestibus ac motibus totiusque corporis habitu ac mobilitate quantum maxime fieri poterat dilucide iidem, qui canebant, argumenta carminum imitarentur.<sup>2)</sup>

Conlinebatur autem omnis illa imitatio figuris quibusdam, quae graece nominantur σχήματα. Athen. XIV. p. 628. D. ἐχρῶντο (saltatores) τοῖς σχήμασιν σημείοις μόνον τῶν ἄδόμενων. Quorum quae fuerit ratio, discimus ex Plutarchi Quaest. conviv. IX. 15. 2. ἔφη δὲ τρία εἶναι [μέρη τῆς ὀρχήσεως], τὴν φορὰν καὶ τὸ σχῆμα καὶ τὴν δεξιάν. ἡ γὰρ ὀρχησις ἔκ τε κινήσεων καὶ σχέσεων συνέστηκεν, ὡς τὸ μέλος τῶν φθόγγων καὶ τῶν διαστημάτων. ἐνταῦθα δὴ αἱ μοναὶ πέρατα τῶν κινήσεων εἰσὶ. φορὰς (Gallice ‚pas‘) μὲν οὖν τὰς κινήσεις ὀνομάζουσι, σχήματα δὲ σχέσεις καὶ διαθέσεις, εἰς ἃς φερόμεναι τελευτῶσιν αἱ κινήσεις, ὅταν Ἀπόλλωνος ἢ Πινακῆς σχῆμα διατιθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἶδεσι ἐπιμένωσι. . . ἐν ὀρχήσει τὸ μὲν σχῆμα μιμητικὸν ἐστὶ μορφῆς καὶ ἰδέας καὶ πάλιν ἡ φορὰ πάθους τινὸς ἐμφαικὸν ἢ πράξεως ἢ δυνάμεως, ταῖς δὲ δεξιῶσι κυρίως αὐτὰ δηλοῦσι τὰ πράγματα, τὴν γῆν, τὸν οὐρανόν, αὐτοὺς τοὺς πλησίον.

Quemadmodum igitur in passuum (φορὰ) majori minorive celeritate, gravitate, levitate inest ipsa saltationis natura ac genus, magis minusve agitata, decorum, honestum, sic ex eorum passuum conjunctione et ordine certae quaedam nascuntur figurae (σχήματα) eaeque, quum dicantur paulisper in iis morari (ἐπιμένειν Plutarch. l. l.) saltatores, ni fallor ejusmodi ut quae apud nos gallico vocabulo nominantur „tableaux“ vel quos fingendi artifices vocant *actus* (Ἄκτ).<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Schol. Pindar ad Pyth. II. 127. διέλεται — ὑπορχήματα [γράψα.] Σωσίβιος δὲ, τὰ ὑπορχηματικά μέλη πάντα Κρητικά λέγεσθαι.

<sup>2)</sup> Procl. 17, ὑπόρχημα δὲ τὸ μετ' ὀρχήσεως ἄδόμενον μέλος ἐλέγετο. Athen. XIV. 631. c. ἡ δ' ὑπορχηματική ἐστὶν ἐν ἧ ἄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται. Lucian de saltat. c. 16. Cramer Anecd. Oxoniens. T. IV. p. 314. ὑπόρχημα ἐστὶ ποίημα πρὸς ὀρχησιν γεγραμμένον πρὸς τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον, ὃ δὲ ὑπορχηματικὸν καλεῖται. Plut. de music. c. 9. Cf. Fritzsche ad Aristoph. Ran. p. 291.

<sup>3)</sup> Δείξεις et σχήματα Plutarcho teste ita differunt, ut σχήματα speciem tantum rerum imitentur (μορφῆν, ἰδέαν), δείξεις ipsas res imitando expriment. Sunt igitur imitationis, quae quidem motibus efficiuntur,

Et in his schematis choricae actionis inest summa. Haec invenire est poetae vel chorodidascali, haec disponere (διατιθέναι)<sup>1)</sup> choreutae, qui idem est saltator, in his aberrare a verborum quae canebantur sententia summo erat saltatori dedecori.<sup>2)</sup> His quamdiu in scenica poesi, ad quam tandem properat disputatio nostra, chororum majus erat momentum quam diverbiorum vetustissimos poetas Thespiam, Carcinum, Pratinam, Phrynichum<sup>3)</sup> summam operam dedisse putandum est.<sup>4)</sup> Horum innumeram sibi vim suppeditasse saltationem gloriatur Phrynichus<sup>5)</sup>

σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσ' ἐνί πόντῳ  
κύματα ποιεῖται χεῖματι νῦξ ὀλοή.

Haec ipsum Aeschylum choris fecisse tradit Aristophanes apud Athenaeum I. 21. F. Ἄριστοφάνης γοῦν — παρὰ δὲ τοῖς κωμικοῖς ἢ περὶ τῶν τραγικῶν ἀποκεῖται πίστις — ποιεῖ αὐτὸν Αἰσχύλον λέγοντα

Τοῖσι χοροῖς αὐτὸς τὰ σχήματ' ἐποίουν  
καὶ πάλιν

Τοὺς Φρύγας οἶδα θεωρῶν,  
ὅτε τῷ Πριάμῳ συλλυσόμενοι τὸν παῖδ' ἤλθον τεθνεῶτα  
πολλὰ τοιαντὶ καὶ τοιαντὶ καὶ δεῦρο σχηματίσαντας.

In his tam artificiosus fuisse narratur Telestes, Aeschyli saltator, ut in fabula ejus, quae inscribitur Septem in Thebas, saltando perspicue imitaretur, quae fiebant. Athen. I. 21. F. Τέλεισις δὲ ἢ Τελέστις, ὁ ὄρχησιτοδιδάσκαλος, πολλὰ ἐξεύρηκε σχήματα, ἄκρως ταῖς χειρσὶ τὰ λεγόμενα δεικνυούσας. 22. A. Ἄριστοκλῆς γοῦν φησιν, ὅτι Τελέστις ὁ Αἰσχύλου ὄρχηστὴς οὕτως ἦν τεχνίτης, ὥστε ἐν τῷ ὄρχεῖσθαι τοὺς Ἐπία ἐπὶ Θήβας φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα δι' ὄρχήσεως.

in actione hi quasi quidam gradus, ut infimum locum obtineant σημεῖα (cf. p. LXXXVII), medium σχήματα, summum δεῖξεις. Quo fit, ut δεῖξεις propria sit pantomimorum, quorum actio in solo motu constat, quamquam et choreutas et histriones, ubi res ferebat, ea usos fuisse consentaneum est.

- 1) Plutarch. quaest. conviv. I. I. Cf. quae de rhapsodorum dispositione exposita sunt p. LXXXVI. VII.
- 2) Cf. Athen. XIV. p. 628. d. εἰ δὲ τις ἀμέτρως διαθείη τὴν σχηματοποιίαν (saltationum figuras) καὶ ταῖς φῶδαῖς ἐπιτυγχάνον μηδὲν λέγει κατὰ τὴν ὄρχησιν, οὕτως δ' ἦν ἀδόκιμος.
- 3) Cf. De Aeschyli re scenica. Pars I. p. XXII sqq.
- 4) Athen. I. 22. sq. φασὶ δὲ καὶ ὅτι οἱ ἀρχαῖοι ποιηταὶ Θεσπις, Πρατίνης, Καρκίνος ὄρχησταὶ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ μὴ μόνον τὰ ἑαυτῶν δράματα ἀναφέρειν εἰς ὄρχησιν τοῦ χοροῦ, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὄρχεῖσθαι.
- 5) Plutarch. Quaest. conviv. VIII. 9.

— describere autem schemata illa et qualia non modo omnia, sed in Aeschyli potissimum choris adhibita sint explicare, nec potest quisquam — sunt enim tot, quot in mari undae — et supervacaneum est. Nam etiamsi describi possent singuli quibus singula schemata efficiuntur motus, tamen nisi ipsi coram cerneremus omnes illos gestus, cogitare vix possemus, quomodo inde haec vel illa nasci posset figura. Quemadmodum enim vel nostris temporibus qui Italiam non viderit, vix poterit conjectura assequi, quae sit Itolorum inprimis Neapolitanorum ad sensa sua exprimenda singularis gestuum varietas et veritas, ne unico quidem illo libro quem de Jorio<sup>1)</sup> conscripsit diligentissime lecto, sic multo minus etiam ex descriptione vel accuratissima Graecorum, qui tum fuerunt omnibus palaestrae saltationisque exercitationibus eruditi, diiudices artem. Si quis tamen paulo clarius hanc rem voluerit perspicere, ei Luciani adeunda quam de saltatione conscripsit disputatio, in qua pantomimis, quorum ars ex hyporchematica choreutarum actione profecta est, innumera vis schematum ad imitandum est proposita.

Hoc solum juvat addere, quod alio loco copiosius exposui,<sup>2)</sup> artificiosis illis saltationis formis in tragoedia consultum fuisse artificiosa choreutarum collocatione, ita ut ex quo quindecim erant choreutae, aut ternum quinque ordines (*ζυγά*) incederent, aut quinorum tres (*στοῖχοι*), iique sic per lineas quasdam<sup>3)</sup> in orchestra descriptas instruerentur, ut sinister versus (*στοῖχος*) proxime consisteret a spectatoribus, dexter proxime a scena. Vocabantur autem sinistri versus choreutae *ἀριστεροστάται* iidemque quum singulorum jugorum essent primi *πρωτοστάται*. Et hi quidem *πρωτοστάται* singulorum motuum, qui in strophis antistrophisque fiebant, erant duces (*ἡγεμόνες*), eorumque qui medius collocatus erat (*τρίτος ἀριστεροῦ*) dux primarius<sup>4)</sup> (*ἡγεμὼν κορυφαῖος*). In medio autem versu (*ὑποκόλλιον*, *λαυροστάται*), qui, sive per juga sive per versus incedebat chorus, minime spectantium patebat oculis, vilissimi locum habebant choreutae.

Atque quum ex choreulis Aeschyli unus nominetur Telestes,<sup>5)</sup> quo saltatore, quemadmodum suos habebat histriones,<sup>6)</sup> semper eum usum esse ipsa verba docent *ὁ Αἰσχύλου ὀρχηστῆς*

1) La mimica degli antichi investigata nel gestire Napolitano del canonico Andrea de Jorio. Napoli 1832. — Multa in hoc genere egregie explicavit F. Wieseler in: Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens bei den Griechen und Römern. Göttingen 1851.

2) Rerum scenicarum capita selecta. Berolini 1835. De chori tragici principibus p. 4—20. Cf. R. Schultze, de chori Graecorum tragici habitu externo. Berolini 1856.

3) Hesych. *γραμμαί*, *γραμμαί ἐν ὀρχήστρᾳ ἦσαν, ὡς τὸν χορὸν ἐν στοίχῳ ἰσισθαι*. Ad idem referendi videntur qui nominantur *ἐπιμεληταί*. Suid. *ἐπιμεληταί ἐχειροτονοῦντο τῶν χορῶν, ὡς μὴ ἀτακτεῖν τοὺς χορευτὰς ἐν τοῖς θεατροῖς*.

4) J. Sommerbrodt, Rerum scenicarum capita selecta De Coryphaeo, p. 9 sqq.

5) Athen. I. 21. sq. cf. p. XC.

6) De Aeschyli re scenica, Pars II. p. L.

quumque is unus omnium eminuisse dicatur imitationis laude, haud dissimile est veri, in omnibus, praecipue antiquioribus tragoediis, praeter ceteros mimicae illius saltationis unum fuisse peritissimum coryphaeum, vel si hemichoria essent duos eorum duces, reliquos autem omnes choreutas tantum adjuvisse eorum motus atque gestus.<sup>1)</sup> Nimirum eadem videtur harum figurarum fuisse ratio, quae in tabulis pictis atque simulacris obtinere solet, ut una res sit primaria, ad quam efferendam et augendam ceterae omnes quae adjiciuntur inserviant.

Ipsos autem stropharum antistropharumque motus gestusque (*φορὰς*), quibus illa, quae diximus, efficiebantur schemata, consentaneum est fuisse ei, quod tragoediae proprium erat, saltationis generi accommodatos. Constat enim trium illorum scenicae saltationis generum,<sup>2)</sup> quae sunt *ἐμμέλεια*, *σίκιννις*, *κόρδαξ*, tragicam saltationem, emmeliam, ut ipsum nomen testatur,<sup>3)</sup> omnium fuisse maxime gravem, sedatam, decoram, ita ut, quamvis summa esset, quam exprimerent, animi perturbatio, quamvis maxima motuum varietas, in omnibus tamen decor semper servaretur ac modus.

Neque vero dubium esse potest, quin quo magis praevalere coeperunt in tragoediis diverbia, eo magis minueretur chori actio saltandique imitatio, ut quum in antiquissima tragoediae forma omnis fere actio in choreutarum inesset saltatione, exulta magis magisque per Aeschylum et Sophoclem tragoedia, ad histriones ea paulatim transiret. Quo factum, ut Aristoteles *problem. XIX. 48.* suae aetatis chorum jam recte dicere posset otiosum quendam curatorem *κηδευντὴν ἄπρακτον* *εὐνοϊαν γὰρ μόνον παρέχεται οἷς πάρεστιν* utque ante eum Aristophanes vel Plato, poeta comicus, conquereretur, quod tanquam fulmine attonitus immobilis paene clamaret sua cantica:

Ὄσι' εἴ τις ὀρχοῖτ' ἐν, θεάμ' ἦν' νῦν δὲ δρωσιν οὐδέν,  
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι σιάδην ὠρῶνται.<sup>4)</sup>

In uno tamen canticorum tragicorum genere, quod ab antiquis illis, de quibus supra dictum est, hyporchematis hyporchematici nomen invenit, diutius retenta est mimica illa saltationis vis. Cujus quidem generis aliam fuisse rationem quam reliquorum, quae in tragoedia insunt, canticorum, veluti parodi, stasimi, exodi vel eo intelligitur quod cum discernitur ab iis omnibus tum vero plane opponitur stasimis, quibus plurima canticorum pars constat.

<sup>1)</sup> Similis est ut videtur Deliaea illa saltatio, quam Lucianus describit de saltatione c. 16.

<sup>2)</sup> Lucian. de saltatione c. 26. *Λοχεῖς δὲ μοι, ὅταν κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπαινής, ἐπιλελῆσθαι, ὅτι καὶ ἐν ἑκατέρῳ ἐκείνων ὀρχήσεως ἰδιόν τι εἶδος ἐστίν, οἷον τραγικῆ μὲν ἢ ἐμμέλεια, κωμωδικῆ δὲ ὁ κόρδαξ, ἐνίοτε δὲ καὶ τρίτης σικίννιδος προσλαμβανομένης.* Cf. Sommerbrodt, de triplici pantomimorum genere. Liegnitz 1843. p. XXI.

<sup>3)</sup> Plato *legg. VII. 814. E. 816. B.*

<sup>4)</sup> Athen. XIV. p. 628. d. Meineke, *fragmenta poetarum comediae antiquae. II. p. 659.*

Cramer, Anecd. Parisiens. T. I. p. 19. Cod. 1773. τῆς τραγικῆς ποιήσεως εἶδη εἰσὶ δέκα πρόλογος, ἄγγελος, ἐξάγγελος, πάροδος, ἐπιπάροδος, στάσιμον, ὑπερμακτικός (quod corrigendum est in ὑπορχηματικός), ἀμοιβαῖοι, σκηνικός.

Tzetz. Anecd. Oxoniens. T. III. p. 346.

πρόλογος, ὁ ἄγγελος, ἐξάγγελός τε

πάροδος, ἐπιπάροδος καὶ στάσιμον

ἕβδομον ὑπορχηματικὸν σὺν τούτοις.

Schol. Sophocl. Trachin. v. 216. ἀείρομ' οὐδ' ἀπόσομαι: μετεωρίζομαι ἐν τῷ χορεύειν εἰς τὸν ἀέρα καὶ ἄνω αἶρομαι τὸ γὰρ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον: ἀλλ' ἐπὶ ἡδονῆς ὀρχοῦνται.

Nam si aliud nihil significaret, nisi id carmen, in quo ad cantum saltatur, hoc quidem omnibus tragoediae canticis, stasimis non minus, quam parodis et exodis, commune est. Itaque aliam ob causam necesse est ita vocatum, nimirum eam, quod propter magnam, quam habent, numerorum celeritatem antiquae illius saltationis mimicae, quae Cretensium potissimum propria fuerat, speciem referebat.<sup>1)</sup>

Fuisse autem re vera multo magis agitata illa carmina, multoque expressiorem flagitasse saltationem quam reliqua omnia, pauca, quae habemus, exempla comprobant velut Sophocl. Ajax. v. 692.

Ἐφριξ' ἔρωτι, περιχαρῆς δ' ἀνεπιτόμαν sqq.

cujus cantici saltatio ipsa Cnossia id est Cretensis nominatur:

φάνηθ', ὦ θεῶν χοροποι' ἄναξ

ὅπως μοι Νύσια Κνώσσι' ὀρχήματ' αὐτοδαῆ ξυγῶν ἰάψης.

et Trach. ubi ad v. 216. (ἀείρομ' οὐδ' ἀπόσομαι) quod Scholiasta adnotat μετεωρίζομαι ἐν τῷ χορεύειν εἰς τὸν ἀέρα καὶ ἄνω αἶρομαι τὸ γὰρ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον ἀλλ' ἐπὶ ἡδονῆς ὀρχοῦνται, negat id carmen sedati illius esse generis, quod proprium est stasimorum.

<sup>1)</sup> Ejusdem generis μονωδίας esse Κρητικὰς apud Aristoph. Ran. v. 849., ubi Aeschylus Euripidem appellat ὡς Κρητικὰς μὲν συλλέγων μονωδίας, primus rectissime quo est ingenii acumine vidit F. V. Fritzsche. Quod autem dicit idem: „Constans — Aristophanis tempore et, absque Euripide fuisset, plane inviolata tragicæ saltationis lex hæc fuit, ut alii saltarent, alii voce canerent (cf. Lucian de saltat. c. 30) velut in choris, in quibus stropham et antistropham unum hemichorium canere solet altero saltante“ hoc neque Luciani illo loco firmatur, nec potest, opinor, omnino probari, si fides habenda est Schol. ad Eurip. Hecub. v. 640. (ἰστέον δὲ, ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ἦδον, τὴν δὲ ἀντιστροφὴν πρὸς τὰ ἀριστερά, τὴν δὲ ἐπωδὸν ἰστάμενοι ἦδον.) ex quo eodem in tragico choro saltasse intelligimus, qui canerent. Euripidem autem solum hunc morem servasse, quum contra historiam saltationis tragicæ pugnet, nisi idonea afferantur testimonia quibus probetur, vix adducor, ut credam.

Et propter hanc ipsam mimicam vim celeresque qui in iis carminibus insunt numeros maxime accommodata dicuntur ὑπορχήματα fabulis et satyricis et comicis. Cramer, Anecd. Paris. I. 20, ὑπόρχημα δ' ἂν εἴη μᾶλλον τῶν σατύρων. ἐκεῖνοι γὰρ ἄδοντες ἅμα ὀρχοῦνται. Athen. XIV. 630. e. ἡ δ' ὑπορχηματικὴ (ὄρχησις) τῇ κωμικῇ οἰκιοῦται, ἣτις καλεῖται κόρδαξ· παιγνιώδεις δ' εἰσὶν ἀμφοτέραι.

Videtur autem omnis quae de hyporchematis excitata est turba inde esse profecta, quod neglexerunt duplici sensu hyporchematis vocem fuisse usurpatam. Nam quum latius patens omne canticum significat, quod ab iisdem saltatur, qui voce canunt, tum vero peculiare illud genus, quod Cretensium erat proprium, maxime agitatam et imitandi arte conspicuum. Plutarch. Quaest. conviv. IX. 15. c. 12. T. II. p. 913, ed. Paris. ὀρχηστικῇ δὲ καὶ ποιητικῇ κοινωνία πᾶσα καὶ μέγεξις ἀλλήλων ἐστὶ καὶ μάλιστα μιμούμεναι περὶ τὸ ὑπορχημάτων γένος ἐνεργὸν ἀμφοτέραι τὴν διὰ τῶν σχημάτων καὶ τῶν ὀνομάτων μίμησιν ἀποτελοῦσι.

## De actione dramatica sive de histrionum actione.

Vidimus et in rhapsodorum et in choreutarum arte duarum illarum partium, quibus omnino actio continetur, vocis et motus permagnum fuisse momentum et a rhapsodis quidem vocis potissimum conformationem, a choreutis cum voce gestuum varietatem atque perspicuitatem excultam esse cognovimus. Suppeditata igitur erant tum, quum dramatica poesis florere coeperat, actionis elementa, quae in fabulis agendis perficeret histrio. Nam quemadmodum dramaticam poesin omnium poesis generum perfectissimam esse putandum est, sic actio in poesi dramatica ad summum demum tanquam artis fastigium evecta est. Non enim satis est histrioni, ut rhapsodo, enarrasse quae ab aliis dicta factaque sunt, non satis, ut choreutae, praeterea quid de aliorum dictis factisque sentiret commonstrasse — quamquam haec quidem omnia ab histrionis arte minime sunt aliena — sed hoc est proprium, ut ipse videatur agere, id est ut certos quosdam mores ab initio fabulae usque ad finem sustinens suam quasi personam exuat alienamque induat. Quod quidem fieri aliter non potest, nisi si omnes vocis modulationes, omnes gestus, motus cum dictis, factis, moribus, qualia cuique personae poeta tribuit, plane congruunt. Hanc autem artem neminem apparet tenere posse, nisi qui sententiae nexusque earum, in quibus agendum est, tragoediarum sit intelligentissimus, morum naturaeque personarum quae ad imitandum propositae sunt perspicientissimus, omnium humani animi sensorum ac vicissitudinum peritissimus, denique vocis gestuumque omnium corporis adeo compos, ut ad quaevis hominum ingenia exprimenda quo velit facile sequantur.

Est igitur histrio veritatis imitator,<sup>1)</sup> ita tamen, ut non tam eam, quae exstat, certam quandam singulorum hominum et rerum naturam exprimat, quam ad speciem ac formam veritatis, quantum potest, imitationem referat. Quod etsi omnibus omnino artificibus adeo est propositum, ut ab eo aberrare sit ab ipsius artis vi ac natura decedere, inter omnes tamen gentes Graecorum maxime secutam esse satis constat.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cicero de Oratore III. c. 56. § 214.

<sup>2)</sup> Cf. De Aeschylī re scenica Pars II. p. LXXVII.

His praemissis venio tandem ad rem institutam, ut praecipua Aeschyleae aetatis ratione habita exponam, Graecorum histriones quomodo et intelligendis tragoediis operam dederint, et in iis rebus, quae primaria artis sunt praesidia, vocis ac motus conformatione elaborarint, denique quae eorum fuerint studia, ut recte et ut ipsi voluerunt poetae interpretarentur eorum fabulas. Quomodo autem histriones qui tum fuerunt in singulis fabulis singulas partes expresserint, quomodo sua quisque pronuntiaverit, quo habitu, quo gestu, quo incessu, quo statu usi fuerint, quis est, qui hodie possit investigare. Verissime enim Schiller de histrionum arte:

— *schnell und spurlos geht des Mimen Kunst,*

*Die wunderbare, an dem Sinn vorüber,*

*Wenn das Gebild des Meissels, der Gesang*

*Des Dichters nach Jahrtausenden noch leben.*

*Hier stirbt der Zauber mit dem Künstler ab,*

*Und wie der Klang verhallet in dem Ohr,*

*Verrauscht des Augenblicks geschwinde Schöpfung,*

*Und ihren Ruhm bewahrt kein dauernd Werk.*

*Schwer ist die Kunst, vergänglich ist ihr Preis.*

### De studiis histrionum.

Ac primum quidem si quaerimus quid fecerint histriones, ut recte intelligerent in quibus agendum esset fabulas, ea studia non opus fuisse patet ipsis poetis, quos antiquis temporibus tragoedias suas egisse scimus.<sup>1)</sup> De posterioribus autem temporibus, quibus Sophocle auctore<sup>2)</sup> jam non ipsi fabulas suas agebant poetae, sed aliis demandabant histrionum partes nihil fere nisi unum in hac re idque obscurissimum superest veterum testimonium. Videtur enim huc referendum esse, quod apud Hesychium legitur v. *Μελιτέων οἶκος* et Photium: *ἐν τῷ τῶν Μελιτέων δήμῳ οἶκός τις ἦν παμμεγέθης, εἰς ὃν οἱ τραγωδοὶ (φοιτῶντες) ἐμελέτων,*

<sup>1)</sup> Aristot. Rhetor. III. 1. 3. *ὑπεκρίνοντο γὰρ αὐτοὶ τραγωδίας οἱ ποιηταὶ τὸ πρῶτον.*

<sup>2)</sup> Vita Sophoclis *πολλὰ ἐκαινούργησεν ἐν τοῖς ἀγῶσι, πρῶτον μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ διὰ τὴν ἰσχυροφωνίαν· πάλαι γὰρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνετο.*



cujus supplementum affert Zenob. II. 27. ἦν δὲ οὗτος ὁ οἶκος μέγας εἰς ὑποδοχὴν τραγω-  
δῶν μισθούμενος.<sup>1)</sup> Quibus locis etsi hoc solum edocemur, fuisse in Melitensium demo Athe-  
niensi aedificium magnum ad excipiendos histriones conductum, in quo exercerentur histriones,  
non inepte tamen videtur inde colligi posse, eos certis quibusdam temporibus ante ludos sce-  
nicos eo convenisse ad ediscendas, quas in scena agerent, partes. Quumque constet Aeschy-  
lum duos habuisse histriones, quibus semper uteretur,<sup>2)</sup> Sophoclem suas fabulas ingeniis  
histrionum accommodasse,<sup>3)</sup> omninoque poetas elegisse suos sibi histriones, qui quidem examen  
rite superassent,<sup>4)</sup> si minus certum, at verisimile certe est, poetas ipsos in illo aedificio hi-  
striones docuisse, histriones autem, postquam a poeta ita edocti essent, ad partes suas recte  
in scena agendas omni modo se parasse. Hoc autem ut fieret quum alia permulta tum hoc  
erat opus, ut totas suas partes, quod nullo utebantur ut nostri homines in scena  
monitore (*Souffleur*), memoria comprehenderent.<sup>5)</sup> Quod quantum ad Tragoediam et in-  
telligendam et agendam valuerit neminem potest fugere. Est enim omnium earum rerum, quae  
actori necessariae sunt, ut aedificiorum memoria quasi fundamentum, neque unquam alienam natu-  
ram, id quod histrionis esse vidimus, poterit prae se ferre nisi qui prorsus eam suam fecerit.  
Utique multarum causarum, quibus effectum est, ut hodie histrionum ars in dies magis pes-  
sundet haud mediocris est ea, quod jam nemo fere unus omnium histrionum quae agenda  
sunt memoria tenet, sed plerique dubitantes saepe, saepe haesitantes, auribus animisque non tam  
in rem ipsam conversis quam in monitoris speluncam defixis ab ejus ore singula verba tan-

De  
memoria.

1) Cf. Aristoph. Ran. v. 501. μὰ Δί', ἀλλ' ἀληθῶς οὐκ Μελίτης μασαγίας.

2) De Aeschylī re scenica. Pars II. p. L.

3) Vita Sophocl. γησι δὲ καὶ Ἰστρος τὰς λευκὰς κρηπίδας αὐτὸν ἐξευρηκέναι, ἅς ὑποδοῦνται οἱ τε ὑποκριταὶ καὶ οἱ χορευταὶ καὶ πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν γράψαι τὰ δράματα.

4) Cf. De Aeschylī re scenica Pars II. p. LI. Simplic. in Epict. enchirid. c. 23. τὸ μὲν ἐκλέξασθαι τῶν ὑποκριτῶν ἕκαστον πρὸς τὸ ἐπιτήδειον πρόσωπον ἐν τῷ δράματι — τοῦ διδάσκοντος τὸ δρᾶμά ἐστιν.

5) Contra pugnare videtur Plutarch. praeept. gerendae reipublicae c. 17. T. II. p. 993. ed. Paris. ἀλλὰ μὲν μείσθαι (δεῖ' loquitur de iis qui praesunt reipublicae) τοὺς ὑποκριτὰς, πάθος μὲν ἴδιον καὶ ἦθος καὶ ἀξίωμα τῷ ἀγῶνι προστιθέντας, τοῦ δὲ ὑποβολέως ἀκούοντας καὶ μὴ παρεκβαίνοντας τοὺς ἠνθμοὺς καὶ τὰ μέτρα τῆς δεδομένης ἐξουσίας ὑπὸ τῶν κρατούντων, ubi ὑποβολεῖς existimarunt esse illos monitores, quos Festus dicit in scena monere histriones (*Souffleurs*). At non de verbis agitur, quae quis praecit, sed de musica tibicinis videlicet qua et histrionum et choreutarum cantus temperatur (Cf. Philon. de vita Mos. II. p. 659. Francof. 1691. ὥσπερ ὑποβολέως ἀοράτως ἐνηχοῦντος), ne in animi perturbationibus exprimentis fines transgrediantur. Cf. Cicero de Oratore. III. 60. § 225.

quam aucupantur. Num vero in eodem aedificio examina illa histrionum instituta fuerint, de quibus expositum est in altera hujus commentationis parte,<sup>1)</sup> parum liquet. Neque magis exploratum est, num eo loco etiam choreutarum factae exercitationes fuerintque ibi, quae Pollux nominat IX. 51. chororum διδασκαλεία (ἐκάλον δὲ τὸ διδασκαλεῖον καὶ χορόν, ὅποτε καὶ τὸν διδάσκαλον χορηγὸν καὶ τὸ διδάσκειν χορηγεῖν).

Posteaquam autem magis jam exulta est histrionum ars nec semper novae docebantur fabulae, sed Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediae iterum iterumque in scenam revocabantur, etiam privatim antea histriones consentaneum est sua studia fecisse et cum de fabularum argumento nexuque tum de personarum, quas agerent, moribus meditados esse, denique quibus sua cujusque indoles maxime apta videretur, eas potissimum sibi elegerint partes. Vultu Theodorum et Aristodemum, Demosthenis aequales, Antigona Sophocleae, non Euripidei Phoenicis partes sumpsisse legimus.<sup>2)</sup> In quo non solum utrum gestu an voce plus valerent, opinor, deliberabant, sed etiam num ad virorum an ad mulierum partes sustinendas accommodatiores essent, num moribus definiendis an affectibus animi exprimendis magis eminent, denique num ethicum suum genus magis esset an patheticum. (Cicero, de offic. I. 34. *illi enim (histriones) non optimas, sed sibi accommodatissimas fabulas eligunt, qui voce freti sunt, Epigonos Medumque, qui gestu Melanippam, Clytaemnestram.* Aristot. Rhetor. III. 12. *ἔστι δὲ λέξις γραμικὴ μὲν ἢ ἀκριβεσιότη, ἀγωνιστικὴ δὲ ἢ ὑποκριτικώτατη, ταύτης δὲ δύο εἶδη, ἢ μὲν γὰρ ἠθικὴ ἢ δὲ παθητικὴ. διὸ καὶ οἱ ὑποκριταὶ τὰ τοιαῦτα τῶν δραμάτων διώκουσι καὶ οἱ ποιηταὶ τοὺς τοιοῦτους*) Adjuvabantur autem eo, quod tragoedi in solis tragoediis, comoedi in solis comoediis versabantur. Nam quod Cicero enarrat,<sup>3)</sup> „Histriones esse vidimus, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, cum tamen in suis versarentur, sed et comoedum in tragoediis et tragoedum in comoediis admodum placere videmus“ hoc ad Ciceronis aetatem est referendum, non ad antiquam Graecorum scenam. Haud enim credo recte habere, quod affert Scholiasta ad Luciani Jov. trag. c. 3., Polum et Aristodemum, Demosthenis aequales, in comoediis non minus quam in tragoediis deos egisse. Πῶλος δὲ καὶ Ἀριστόδημος ὑποκριταὶ περιφανεῖς ὑπεκρίνοντο οὐκ ἐν ταῖς τραγωδίαις καὶ κωμωδίαις τοὺς θεούς.

1) Cf. De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LI.

2) Demosthen. de male gesta legatione p. 418. ταῦτα μὲν γὰρ τὰ λαμβεῖα ἐκ Φοίνικός ἐστιν Εὐριπίδων· τοῦτο δὲ τὸ δράμα οὐδὲ πώποτε οὔτε Θεόδωρος οὔτε Ἀριστόδημος ὑπεκρίναντο, — ἀλλὰ Μόλων ἠγωνίζετο καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν παλαιῶν ὑποκριτῶν. Ἀντιγόνην δὲ Σοφοκλέους πολλάκις μὲν Θεόδωρος πολλάκις δὲ Ἀριστόδημος ὑποκρίεται, ἐν ἣ πεποιημένα λαμβεῖα καλῶς καὶ συμφερόντως ἡμῖν πολλάκις αὐτὸς εἰρηκῶς καὶ ἀκριβῶς ἐξεπιστάμενος παρέλιπεν.

3) De oratore III. c. § 109.

Transimus ad potissima actionis praesidia, quibus ipsa ars continetur, vocem et motum vel gestum.<sup>1)</sup>

Atque ad vocem quidem conformandam et excolendam ab histrionibus insignis adhibita est cura ac diligentia. Vocis enim in agendo tanta est vis, ut ex ea recte dicatur judicari histrio, quemadmodum sententiis censetur orator,<sup>2)</sup> eademque ad actionis usum atque laudem maximam obtineat partem.<sup>3)</sup> Nam sonis homines ut aera tinnitu dignoscimus. Quamobrem qui diversas hominum naturas moresque in scena vult imitari, eum necesse est infinitam habere sonorum varietatem, vicissitudinem, commutationem. Sunt enim tot soni, quot animi mores motus affectus. Veluti alios sibi vult ira, alios moeror, alios habet veritas, alios simulatio, aliis utitur senis tranquillitas, aliis juvenis fervor, aliis remittuntur animi, aliis contrahuntur. Quibus omnibus qui prout res ferebat, ut Theodorus ille,<sup>4)</sup> uteretur tanquam suis, non alienis, is summa dignus habebatur laude. Indigebant autem veteres Graeci eo majori quam nostri histriones vocis varietate, quod et plures deinceps in singulis tragoediis habebant partes et quum feminae in scenam prodirent nullae iidem mulieres in scena agebant. Itaque mox parva, mox magna voce, modo acutissima feminarum, modo gravissima deorum atque heroum opus erat.<sup>5)</sup> Accedebat, quod familiam ducit, ut cum hac tanta vocis varietate eam conjungerent modestiam et continentiam, quae semper totius fabulae singularumque partium spectaret convenientiam, ita ut vel is, qui majori arte emineret, si secundas aut tertias partes haberet actor, suam vocem facile summitteret, ut primarum actor quam maxime ex-

De  
voce.

1) Cic. de oratore I. c. 5. § 18. *Quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est: quae sola per se quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat.*

2) Plutarch. vita Demosth. p. 1033. T. II. ed. Paris. *τοὺς ὑποκριτὰς δεῖ κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς τοὺς δὲ ζητόρας ἐκ τῆς γνώμης.*

3) Cic. de orat. III. c. 60. § 224. Arist. rhet. III. 1. *φωνὴ πάντων μιμητικώτατον τῶν μορίων ἡμῶν.*

4) Arist. rhetor. III. 2. 4. *δεῖ λανθάνειν ποιούντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως τοῦτο γὰρ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τὸναντίον — ὅσον ἡ Θεοδώρου φωνὴ πέπονθεν πρὸς τὴν τῶν ἄλλων ὑποκριτῶν. ἡ μὲν γὰρ τοῦ λέγοντος ἔοικεν εἶναι, αἱ δ' ἄλλότρια.*

5) Cf. Poll. IV. 114. *εἴποις δ' ἂν βαρύτερος ὑποκριτής, βομβῶν, περιβομβῶν, ληνθίζων, λαρυγγίζων, φαργγίζων καὶ βαρύφωνος δὲ καὶ λεπτόφωνος καὶ γυναικόφωνος καὶ σιτηρόφωνος καὶ ὅσα σὺν τούτοις ἄλλα ἐν τοῖς περὶ φωνῆς εἴρηται.* Lucian. Pisc. 31. *βοῶν ἡρωικόν.* Diodor. Sic. XVI. p. 558. *Neoptolemus, Demosthenis aequalis, dicitur πρωτεύων τῇ μεγαλοφωνίᾳ καὶ τῇ δόξῃ.* Lucian. Nigr. c. 11. *μέγα κεινήτερες μικρὸν φθέγγονται καὶ ἰσχνὸν καὶ γυναικῶδες.*

celleret.<sup>1)</sup> Hoc autem adeo est necessarium, ut eo neglecto, quod nunc ipsum saepissime accidere videmus,<sup>2)</sup> vel eximia histrionis ars noceat plus quam prosit fabulae ita, ut poeta voluit, agenda.

Quanta vero praeter varietatem vocis flagitata sit vocis vis atque amplitudo, id ex ingenti theatrorum, quae apud Graecos erant, magnitudine diiudicari potest. Nam quum hodie vix mille hominibus histriones satisfacere possint, quantam fuisse putabimus illorum tragoedorum vocem, qui vel a viginti millibus hominum in theatro recitantes ita poterant audiri, ut facile animadverteretur, num vel levissimus spiritus in pronuntiando esset neglectus. Poterat sane ad augendam histrionum vocem nonnihil valere larvarum usus ac proprietates,<sup>3)</sup> poterant aliquid conferre ἤχεται illa, in theatro collocata,<sup>4)</sup> quae qualia fuerint adhuc obscurum est, poterat multum efficere naturae quaedam praestantia, sed plurimum tamen tribuendum videtur singulari histrionum arti ac labori.

Qui quidem ita serviebant voci, ut non solum in bibendo edendoque summa uterentur frugalitate sique exagitantur tragoedi, qui ventri nimis indulgentes voci nocerent,<sup>5)</sup> sed etiam certis spatiandi quiescendique vicibus observatis quotidie se exercitarent. Idque tam religiose factitabant, ut post coenam nunquam declamitarent, sed mane jejuni vocem cubantes sensim ab imis sonis ad summos excitarent, eandemque cum egerant sedentes a contentione

1) Cic. divin. in Caecil. c. 14. § 48. *Ut in actoribus Graecis fieri videmus saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Alienus: tibi serviet tibi lenocinabitur, minus aliquanto contendet, quam potest.* Cf. De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LI sqq.

2) Lepidissime vulgare nostrorum histrionum genus perstrinxit vir incorrupti iudicii E. Kossak commentatione, quae inscripta est: „Mimenbilder. Die kleinen Meister.“ in Schlesische Zeitung 1858. No. 39.

3) Cf. Wieseler, Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens.

4) Vitruv. V. 5, 2. ibid. I. 1, 9.

5) Athen. VIII. 344. d. *Μυθίσκος ὁ τραγικός ὑποκριτῆς κωμωδεῖται ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Σύρακι ὡς ὀψογάγος.* Athen. VIII. 343. e. f. *ὀψογάγος δ' ἦν καὶ Λεοντεὺς ὁ Ἀργεῖος τραγωδός, Ἀθηναῖος μὲν μαθητῆς, οἰκέτης δὲ γενόμενος Ἰόβα τοῦ Μανρονσίων βασιλέως, ὡς φησὶν Ἀμάραντος ἐν τοῖς περὶ σκηνῆς, γεγραφέναι φάσκων εἰς αὐτὸν τόδε τὸ ἐπίγραμμα τὸν Ἰόβαν, ὅτε κακῶς τὴν Ὑψιπύλην ὑπεκρίνατο*

*Μή με Λεοντῆος τραγικῶν κιναρηγράφων ἤθος  
λεύσσων Ὑψιπύλης ἐς κακὸν ἦτορ ὄρα.*

*ἤμην γάρ ποτ' ἐγὼ Βάκχῳ φίλος, οὐδέ τιν' ὄδω  
γῆρην χρυσολόβοις οὖασιν ἠγάσασα.*

*νῦν δέ με χυτρόποδες, κέραμοι καὶ ξηρὰ τάγηννα  
χίρωσαν φωνῆς γαστρὶ χαριζόμενον.*

conderent, ab acutissimo sono usque ad gravissimum eam recipientes et quasi quodammodo colligentes. (Aristot. Problem. XI. 22. *Αὐτὰ τὰ τοῖς μετὰ τὰ σιτία κεκραγόνων ἢ φωνῆ διαφθείρεται; καὶ πάντας ἂν ἴδοιμεν τοὺς φωνασκοῦντας, ὅλον ὑποκριτὰς καὶ χορευτὰς καὶ τοὺς ἄλλους τοιοῦτους ἔωθεν τε καὶ νήστευς τὰς μελέτας ποιουμένους.* Quint. inst. orat. IX. 3. 19—22. Cic. de orat. I. 59.)

Neque vero solum conformationi vocis operam dabant, ut et vim haberet summam atque amplitudinem et maximam varietatem ac commutationem, sed etiam in pronuntiando eximia erant cautione ac diligentia. In qua quam dissimilis sit nostra aetas illis, qui in Graecorum theatris spectatores erant, notissimum illud docet Hegelochi exemplum. Nam nos quidem quum haut ita moleste feramus, si alii Viennensium, alii Berolinensium, alii alia lingua audientium aures obtundunt, nemo fere unus recte et germanice in scena loquitur, Hegelochus ille tragicus histrio, quum in Euripidis Oreste hoc commisisset, ut neglecto levissimo spiritu pro

*ἐκ κυμάτων γὰρ αὐθις αὐτὸ γαλήν' ὄρω* (video malaciam)

pronuntiaret

*ἐκ κυμάτων γὰρ αὐθις αὐτὸ γαλήν' ὄρω* (video mustelam)

non modo politiores homines leniter subriserunt, sed totum exclamavit theatrum comicique poetae non destiterunt eum salibus perfricare.<sup>1)</sup>

Par etiam numerorum habita est ratio, ita ut in his si paullum esset offensum, ut aut contractione brevior fieret syllaba aut productione longior, sibilaretur histrio et exploderetur.<sup>2)</sup>

Quapropter quum tantum esset vocis in theatro momentum, in ipsa scena exstruenda non neglecta est ejus cura. Veluti quum Alexander voluisset ex aere fieri proscenium, adversatus est architectus, quod ita corrumperetur vox. (Plutarch. non posse suaviter vivi secundum Epicurum p. 1340. T. II. ed. Paris. *χαλκοῦν Ἀλέξανδρον ἐν Πέλλῃ βουλόμενος ποιῆσαι τὸ προσκήνιον, οὐκ εἴασεν ὁ τεχνίτης, ὡς διαφθεροῦντα τῶν ὑποκριτῶν τὴν φωνήν*).

At dixerit quispiam haec pleraque omnia non tam Aeschyleae esse aetatis, quam multo posteriorum temporum. Fateor illud quidem, sed tamen probabile est, etsi sero neque ante

<sup>1)</sup> Schol. Euripid. Orest. c. 269. *ἐκ κυμάτων γὰρ αὐθις αὐτὸ γαλήν' ὄρω*· κεκομψόγηται ὁ στίχος διὰ Ἡγέλοχον τὸν ὑποκριτὴν οὐ γὰρ φθάσαντα διελεῖν τὴν συναλοιφήν, ἐπιλείψαντος τοῦ πνεύματος, τοῖς ἀκροωμένοις τὴν γαλήν' δόξαι λέγειν τὸ ζῶον, ἀλλ' οὐχὶ τὰ γαλήν'· πολλοὶ μὲν οὖν διέπαιξαν τῶν κωμικῶν, Ἀριστοφάνης καὶ Στράτις ἐν Ἀνθρωποφθραίστῃ καὶ Σαννυρίων ἐν Δανάῃ. Cf. Schol. ad Arist. Ran. v. 305. Meineke, fragm. comic. graec. II. p. 763. 874. p. 787. V. CXVII. ex incerta fabula:

*γαλήν' ὄρω. B. ποῖ, πρὸς θεῶν, ποῖ ποῖ γαλήν;*

*A. γαλήν'. B. ἐγὼ δ' ᾤμην σε γαλήν' λέγειν ὄρω.*

<sup>2)</sup> Hoc de sua quidem aetate enarrat Cic. de oratore III. 50. 196. Paradox. 3. extr.

Aristotelis aetatem reperta sit artis ratio atque doctrina, artis ipsius non solum radices, sed etiam florem ad Aeschyli, Sophoclis, Euripidis aetatem pertinere. Quod quidem verum esse cum eo firmatur, quod solent omnes artes prius exstare quam artium disciplinae,<sup>1)</sup> tum vero hoc maxime comprobatur, quod vel ii scriptores, qui Caesarum temporibus fuerunt, in optimorum clarissimorumque histrionum numero antiquissimos illos Aeschyli, Sophoclis, Euripidis referunt. Affero unum Plutarchi testimonium, qui eo libello, quo hellone an pace clariore fuerint Athenienses examinat, hos enumerat c. 6. p. 426. T. I. ed. Paris. Ἐνθεν μὲν δὴ προσίτωσαν ὑπ' αὐλοῖς καὶ λύραις ποιητὰ λέγοντες καὶ ἄδοντες

Εὐφημεῖν χρὴ καὶ ξίσιασθαι κ. τ. λ.

καὶ σκενᾶς καὶ προσωπεῖα καὶ βωμοὺς καὶ μηχανὰς ἀπὸ σκηνῆς περιάκτους καὶ τρίποδας ἐπι-  
νικίους κομίζοντες· τραγικοὶ δ' αὐτοῖς ὑποκριταὶ καὶ Νικόστρατοι καὶ Καλλιπίδαί  
(Mynisci aemulus) καὶ Μυνίσκοι (Aeschyli histrio) καὶ Θεόδωροι καὶ Πῶ-  
λοι συνίτωσαν.<sup>2)</sup>

De  
motu.

Venio ad alteram actionis partem, quae corporis motu continetur. In quo genere haec potissimum sunt spectanda: habitus (σχῆμα), status, incessus, capitis motus, vultus, manuum gestus,<sup>3)</sup> sicuti manifeste testantur et alii<sup>4)</sup> et Quintil. instit. orat. XI. c. 3. § 14. *Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa partes, vocem gestumque, quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus, prius est de voce dicere, cui etiam gestus accommodatur.* § 65. (*gestus*) — *et ipse voci consentit et animo cum ea simul paret.* § 66. — *ex vultu ingressuque perspicitur habitus animorum.* § 68. *Praecipuum in actione — caput est.* § 85. *Manus — sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant, cum paene ipsam verborum copiam persequantur.*

Sed haec tamen omnia in tragica quidem Graecorum scena angustissimis circumscripta erant finibus. Nam vultus primum adjumento, qui in oratore vel maxime dominatur,<sup>5)</sup> cuius

<sup>1)</sup> Cf. De Aeschyli re scenica pars I. p. XXVII. VIII.

<sup>2)</sup> Cf. Plutarch. Agesil. c. 21. Καλλιπίδης ὁ τῶν τραγικῶν ὑποκριτῆς ὄνομα καὶ δόξαν ἔχων ἐν τοῖς Ἑλλήσι καὶ σπουδαζόμενος ὑπὸ πάντων.

<sup>3)</sup> Cicero de oratore I. c. 5. § 18. *Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est.*

<sup>4)</sup> Plutarch. Demetr. c. 18. in praecipuis artis praesidiis enumerat βᾶδισιν καὶ φωνῆν καὶ κατὰ κλισίαν καὶ προσαγόρευσιν. Lucian. Pisc. c. 31. τὸ πρᾶγμα ὁμοιον ἐδόκει μοι καθάπερ ἂν εἴ τις ὑποκριτῆς τραγῳδίας μαλθακὸς αὐτὸς ὢν καὶ γυναικεῖος Ἀχιλλεῖα — ὑποκρίνοιτο — μήτε βαδίζων μήτε βοῶν ἠρωϊκόν.

<sup>5)</sup> Quintil. inst. orat. XI. c. 3. § 72.

summa est varietas summumque ad movendos animos momentum, propter larvarum usum<sup>1)</sup> prorsus privati erant histriones Graeci. Qui personarum usus quantum detrimenti afferret histrionum arti, rectissime iudicaverunt senes quidam Romani, Ciceronis aequales, qui personatum ne Roscium quidem, celeberrimum illius aetatis histrionem, magno opere laudabant.<sup>2)</sup> Animi est enim omnis actio et imago animi vultus est, indices oculi.<sup>3)</sup> Esse tamen aliquantum ipsa larvarum forma, colore, vultu effectum ad significandos qui histrionibus in scena agendi erant mores, ex hoc intelligitur, quod Aesopus, histrio tragicus, non prius fertur ullam induisse suo capiti personam, quam „diu ex adverso contemplaretur pro personae vultu gestum sibi capessere ac vocem.“<sup>4)</sup>

Hoc vero vix credibile est, quod vir clarissimus Bernhardy statuit, prout singularum personarum in singulis fabulis mutarentur animi motus, aliis atque aliis deinceps actores usos esse larvis.<sup>5)</sup> Immo cum propter theatrorum amplitudinem vultus in scena exprimendi minus habita est ratio, tum vero propter ipsam Graecae tragoediae naturam.<sup>6)</sup> Nam Graeci, qua erant ingenii sollertia iudiciiue elegantia ac subtilitate, non commisissent profecto, ut hoc egregio actionis adjumento ultro supersederent, nisi natura ac proprietas tragoediae Graecae hoc tulisset, ut actorum facies ac vultus tegerentur. Est enim alia nostrarum fabularum ratio, alia antiquae tragoediae. Apud nos indicati tantum atque inchoati quasi a poetis mores, ut histrionis sit et aliis praesidiis et vultus potissimum ope eos perficere et quasi ante spectatorum oculos animosque explicare, in Graecorum tragoedia factae quaedam et expressae statim ab initio morum formae, quae non tam explicandae et supplendae, quam servandae et retinendae per omnes fabulae vicissitudines videantur.

Accedebat, quod nota erant apud Graecos omnibus fere, qui in theatro spectabant, fabularum cum argumenta tum personae, ita ut facilius, quales eas singuli informassent poetae,

1) Cf. De Aeschylī re scenica. Pars II. p. LXXV sqq.

2) Cic. de oratore. III. c. 60. § 221.

3) Cic. de oratore. III. c. 60. § 221.

4) Fronto II. p. 253. ed. Mediol. Eodem referendum fortasse Quintil. XI. 3. 73. *In iis, quae ad scenam componuntur, fabulis artifices pronuntiandi a personis quoque affectus mutuuntur: ut sit Aerope in tragoedia tristis, atrox Medea, attonitus Aiax, truculentus Hercules.*

5) G. Bernhardy, Grundriss der griechischen Litteratur. II. p. 649. „Wenig hört man von derjenigen Klasse von Masken, die man ἔσσκευα nannte: Hesych. τὰ παρεπόμενα πρόσωπα ἐπὶ σκηρῆς, das heisst, wie man aus der umständlichen Beschreibung Poll. IV. 141 (wo ἔσσκευα noch steht) ersieht, solche die zu besonderen Scenen und momentanen Characterzügen passten.“ Ego quid de illo larvarum genere sentirem, exposui p. LXXIX.

6) Cf. de Aeschylī re scenica. Pars II. p. LXXIX.

diiudicare possent, quum in nostris theatris aliae atque aliae innumerae se excipiant fabulae, quarum diversissima argumenta aut nemini aut paucis sunt cognita. Quamobrem ut nos quidem in scena nullo pacto ferre possumus larvarum usum, ita Graeci, quae erat tragoediae apud eos natura, facile eum poterant admittere, qui adeo non indigerent vultus varietate, ut satis iis esset, quemadmodum vidimus,<sup>1)</sup> neglecta singularum personarum proprietate, certa quaedam genera larvarum expressisse, quibus ab initio fabulae usque ad finem actores uterentur.

Quemadmodum autem propter larvarum usum Graecorum tragoedi in agendo carebant vultus auxilio, sic ceteri quoque corporis motus maxime erant coerciti ponderoso illo histrionum apparatu, quo Aeschylum memoravimus ad magnificentiam et decorem augendum instruxisse histriones.<sup>2)</sup> Quid enim? Celsis illis, quibus utebantur, calceis nonne incedendi libertas mirum quantum impediabatur, ut vel difficillimum esset non cadere. Quod quam non raro factum sit, permulti illi docent et aliorum et Luciani loci, quibus simul, quam id ridiculum quamque turpe fuerit, describitur.<sup>3)</sup> Quid? Ipsius corporis num magna poterat esse agilitas atque mobilitas, quum pectus ac venter prosternidio illo et progastriديو supra naturam haud mediocriter amplificarentur? Quid? Capitis nutus et inclinatio nonne propter personam naturalis magnitudinis modum longe superantem summa cautione erant adhibenda?<sup>4)</sup> Denique manus quoque, quarum tanta est ad imitandum vis, ut recte eae dicantur loquacissimae peculiarisque ab iis appellata sit ars (*χειρονομία*)<sup>5)</sup>, nonne manus, inquam, credibile est, manicis illis, quas dixi,<sup>6)</sup> paululum esse impeditas?

Hae quum essent tot tantaeque difficultates summa videmus opus fuisse arte, ut motu gestuque histriones elegantissimo illi Graecorum, praesertim Atheniensium iudicio, ut placu-

<sup>1)</sup> De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LXXVII. VIII.

<sup>2)</sup> De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LXIII. sqq.

<sup>3)</sup> Lucian. Gall. c. 26. ἐπειδὴν πέσωσιν, ὅμοιοι μάλιστα φαίνονται τοῖς τραγικοῖς ὑποκριταῖς ὧν πολλοὺς ἰδεῖν ἔστι τέως μὲν Κέκροπος δῆθεν ὄντας ἢ Σισύφους ἢ Τηλέφους, διαδήματα ἔχοντες καὶ ξίφη ἐλεφαντιόκοπα καὶ ἐπίσειστον κόμην χλαμύδα χρυσόπαστον ἦν δὲ, οἷα πολλὰ γίνεται, κενεμβατήσας τις αὐτῶν ἐν μέσῃ τῇ σκηνῇ καιαπέση, γέλωτα δηλαδὴ παρέχει τοῖς θεαταῖς τοῦ προσωπείου μὲν συντριβέντιος αἰτῶ διαδήματι, ἡμαγμένης δὲ τῆς ἀληθοῦς κεφαλῆς τοῦ ὑποκριτοῦ καὶ τῶν σκελῶν ἐπὶ πολὺ γυμνουμένων ὡς τῆς τε ἐσθῆτος τὰ ἔνδοθεν φαίνεσθαι ἡάκια δύστηνα ὄντα καὶ τῶν κοθόρων τὴν ὑπόδεσιν ἀμορφοτάτην καὶ οὐ κατὰ λόγον τοῦ ποδός. Anachars. c. 23. Nigrin. c. 11.

<sup>4)</sup> De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LXXIV.

<sup>5)</sup> Cf. Lucian. de saltat. c. 63. Ἀκούω, ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὄρα μόνον, ἀλλὰ μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. Sommerbrodt, de triplici pantomimorum genere.

<sup>6)</sup> De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LXXIV.



erunt, placere potuerint. Quae quidem ars in duabus potissimum rebus videtur fuisse posita. Nam primum quidem summa flagitabatur corporis exercitatio, cujus ope efficeretur, ut maxima membrorum firmitas conjuncta esset cum eximia corporis mobilitate.<sup>1)</sup> Etenim si quis non omnium corporis membrorum adeo est compos, ut facile nutum voluntatemque suam sequantur, is quamvis rectissime intellexerit, quales sibi exprimendi sint in scena mores, a proposito longe aberrabit. Alterum non minus necessarium hoc erat, ut qui ita esset exercitatus idem quid in quaque re deceret recte diiudicaret<sup>2)</sup> omninoque, quod gravissimum est, modum teneret.

Et illud quidem palaestrae et saltationis studiis est factum, quae vel maxime necessaria esse, quum nostrae aetatis histriones ad unum omnes videantur nescire, Cicero tam egregie intellexit, ut plane negaret,<sup>3)</sup> quemquam posse satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset.

Videre autem, quid in quaque re deceat, quod secundo loco posueramus, etsi naturae hoc magis est quam doctrinae, tamen in hac re, opinor, qui et tragoediae et actionis scenicae recte habetur auctor, ipse viam monstravit Aeschylus. Qui quidem quemadmodum omnibus rebus magnificentiae decorique tragoediae consuluit,<sup>4)</sup> idem majestatem illam summa actionis simplicitate ac moderatione optime sustineri posse et, si quando a modo aberraretur, magis nimium, quam parum offendere rectissime perspexit. Idque ne temere divinare potius videamur quam certo scire, affero luculentissimum quod exstat de histrione ejus, quo inprimis usus est, documentum. Nam Myniscus Chalcidensis Aeschyli histrio auctore Aristotele poetica c. 26. § 2. Callipidem aequalem vituperans, quod nimius sit in agendo, eum appellat simiam: ἡ μὲν οὖν τραγωδία τοιαύτη ἐστίν, ὡς καὶ οἱ πρότεροι τοὺς ὑστέρονς αὐτῶν φόντο ὑποκριτὰς ὡς λίαν γὰρ ὑπερβάλλοντα, πίθηκον ὁ Μυνίσκος τὸν Καλλιπίδην ἐκάλει. Quod si comparamus cum § 3. . . εἶτα οὐδὲ μίμησις ἅπασα ἀποδοκιμασιέα εἶπερ μὴδ' ὄρχησις, ἀλλ' ἡ φάυλων, ὅπερ καὶ Καλλιπίδην ἐπειμᾶτο καὶ νῦν ἄλλοις, ὡς οὐκ ἔλευθέρας γυναῖκας μιμουμένων, quum Myniscum constet ab ipso Aeschylo edoctum esse, ita ut ejus judicium non longe abesse putandum sit ab Aeschyli judicio, Aeschylo actionem licet iudicare probatam fuisse sedatam, moderatam, honestam, denique non nimiam. Nempe

1) Quae enim Lucian. de saltat. c. 72. (ὃ δὲ ἐστὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ὄρχηστῶν ἐπαινεῖσαι, τοῦτο ἤδη ἐρῶ· τὸ γὰρ ἰσχύν τε ἅμα καὶ ὑγρότητα τῶν μελῶν ἐπιτηδεύειν ὁμοίως παράδοξον εἶναι μοι δοκεῖ, ὡς εἴ τις ἐν τῷ αὐτῷ καὶ Ἡρακλέους τὸ καρτερόν καὶ Ἀφροδίτης τὸ ἄβρὸν δεικνύοι) vult inesse in saltatore, eadem actori necessaria sunt.

2) Cic. de oratore. III. c. 22. § 74. — histrio, quid deceat, quaerit.

3) Cic. de oratore. III. c. 22. § 83.

4) De Aeschyli re scenica. Pars II. p. LXIII.

sic voluit histriones suas partes agere, ut Quintilianus gravioribus quidem facere moris fuisse testatur, ut gestus magis ad sensum quam ad verba esset accommodatus<sup>1)</sup>, eoque modo histrionis imitatio a choreutarum actione differret.

At enimvero paullo etiam accuratius de hac re poterimus existimare, si in memoriam revocaverimus, quod nunc quidem exploratum videtur,<sup>2)</sup> summum inter sese adjumentum sibi attulisse histrionum artem et artem fingendi, ita ut quemadmodum antiquioribus, Aeschyli potissimum temporibus, fingendi ars histrionum artificio mirifice aucta est, sic posteaquam Periclis aetate permagna cepit incrementa statuaria ars, histrionis invicem sequerentur sculptorum vestigia. Quod si recte se habet, haud admodum a vero videmur aberrare, si quae de Hegia Critio Nesiote sculptoribus, Aeschyli aequalibus, traduntur a Luciano rhetor. praeept. c. 9. εἰτά σε κελεύσει ζηλοῦν ἐκείνους τοὺς ἀρχαίους ἄνδρας ἑωλα παραδείγματα παραιθεῖς τῶν λόγων οὐ ῥάδια μιμῆσθαι, οἷα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστίεν, Ἠγίον καὶ τῶν ἀμφὶ Κριτίον καὶ Νησιώτην, ἀπεσφιγμένα καὶ νευρώδη καὶ σκληρὰ καὶ ἀκριβῶς ἀποτετυμημένα ταῖς γραμμαῖς ad histrionum artem transferimus, qualis in Aeschyli fabulis fuerit usurpata. Itaque eam dicemus fuisse non mollem, dulcem, lenem, sed nervosam, asperam, grandem, motusque et gestus directos quodammodo atque circumcisos, graves, sollemnes, denique cum austera Aeschylearum fabularum majestate et simplicitate plane congruentes.<sup>3)</sup> Esse autem omnino Aeschylum in tragoediis suis magis secutum habitus statusque gravitatem, quam gestuum agilitatem atque celeritatem non pauca comprobant exempla. Veluti Prometheus per totam fabulam saxo affixus est, ita ut nulli prope possint esse ejus motus gestusque; in Agame-

1) Quintil. instit. orat. XI. 3. 89. *Abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensum magis quam ad verba accommodatus; quod etiam histrionibus paulo gravioribus facere moris fuit.* Cic. orat. III. c. 59. §. 220.

2) C. Hoffmann, tragoedia Graecorum cum plasticae artis operibus comparata. Moguntiae 1834. K. F. Hermann, über die Studien der griechischen Künstler p. 39. „Welcher mächtige Einfluss in dieser Hinsicht namentlich dem Drama auf die Darstellungen der griechischen Kunst sei es in ernster oder heiterer Haltung gebührt, ist in neuerer Zeit vielfach nachgewiesen und liegt um so mehr in der Natur der Sache, als die scenischen Aufführungen nicht allein die Phantasie mächtiger als jede sonstige Art von Poesie anregen, sondern zugleich die Schauspielkunst der bildenden gleichsam als Vorgängerin in lebendiger Plastik diene.“ — „So häufig wir später den umgekehrten Fall finden, dass Werke der bildenden Kunst auf poetische oder rhetorische Schilderungen eingewirkt haben, so sicher kann man für die früheren Entwicklungsstufen das entgegengesetzte Verhältniss beider Künste annehmen.“ A. G. Schlegel in Vorlesungen über dramatische Kunst und Litteratur. 3. Ausg. p. 66. „Man wird wohl thun, sich dabei die alte Skulptur gegenwärtig zu erhalten, und vielleicht ist es das treffendste Bild, sich jene als belebte, bewegliche Statuen im grossen Stil zu denken.“

3) Vita Aeschyli μόνον — σπουδάζει τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις.

mnone Cassandra, saepius a Clytaemnestra invitata, ut in regiam introiret, in media scena diu immota tacet, habitu tamen, ut et chori et Clytaemnestrae verba docent, satis qui animi sit affectus exprimens v. 965. sqq.

*Χορ.* ἔρμηνέως ἔοικεν ἢ ξένη τοροῦ  
δεῖσθαι· τρόπος δὲ θηρὸς ὡς νεαιρέτου.  
*Κλυτ.* ἢ μαίνεται γε καὶ κακῶν κλύει φρενῶν.

Simile taciturnitatis exemplum in fabulis deperditis exhibuerunt Achilles et Niobe teste Aristophane Ran. v. 911. sqq. (ed. Fritzsche), qui sic facit Euripidem de Aeschylō loquentem

πρώτιστα μὲν γὰρ ἓνα τιν' ἂν καθίσειν ἐγκαλύψας  
Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνὺς  
πρόσχημα τῆς τραγωδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί.<sup>1)</sup>

In quo idem obversatum videtur Aeschylō quod de Timanthe pictore illo celeberrimo narratur.<sup>2)</sup> Ut enim Timanthes Parrhasii aequalis, cum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, maestior Ulixes, maereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse vidit, quoniam summum illum motum penicillo non posset imitari, sic Aeschylus summum dolorem summo silentio totiusque corporis quasi torpore aptissime exprimi intellexit. Ad hunc vero divinum dolorem silentiumque recte, pulchre, decore imitandum multo majus quoddam artificium requiri, quam ad eos clamores eaque quasi tripudia histrionum, quibus hodie theatra tremere solent, equis est qui non facile sibi persuadeat?

1) Vita Aeschyli: διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμωδεῖται παρ' Ἀριστογόνου· ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ ἕως τρίτης ἡμέρας ἐπικαθήμενῃ τῷ ἰάφῳ τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται ἐγκαλυμμένη. ἐν δὲ τῇ τοῖς Ἐκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκαλυμμένος οὐ φθέγγεται, πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἐρμῆν ἀμοιβαῖα.

Schol. ad Arist. Ran. v. 912. ἐγκαλύψας· ὡς αὐτοῦ εἰςφέροντος ἐν δράμασί τινα κεκαλυμμένον· ὁ Ἀχιλλεὺς δὲ καθήμενός ἐστι καὶ οὐχ ἀποκρινόμενος παρ' Αἰσχύλῳ ἐν δράματι ἐπιγραφομένῳ Φρυξίν ἢ Ἐκτορος λύτροις, οὐδὲν δὲ ὁ Ἀχιλλεὺς φθέγγεται.

Schol. ad Aesch. Prometh. v. 435. σιωπῶσι γὰρ παρὰ τοῖς ποιηταῖς τὰ πρόσωπα ἢ δι' ἀνθαδῖαν ὡς [Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξί] Σοφοκλέους ἢ διὰ συμφορὰν, ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξί καὶ ἢ Νιόβῃ παρ' Αἰσχύλῳ. Cf. Aeschyli tragoed. rec. G. Hermann. T. I. p. 351. Eustath. p. 1940, 64. καὶ γὰρ τοὶ παρὰ Αἰσχύλῳ καθήμεναι πον πρόσωπα σιωπῶντα ἐφ' ἱκανὸν κατὰ σχῆμα ἢ πένθους ἢ θανάτου ἢ τινος ἑτεροίου πάθους.

2) Cic. orator c. 22. § 74. Plin. XXXV. 10. 36: ejus est Iphigenia oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura cum maestos pinxisset omnes praecipueque patrum et tristitiae omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere.

Est sane operae pretium, omnes Aeschyli fabulas persequi, quae in iis insunt ad histrionum artem, qualis tum fuerit, diiudicandam indicia investigare, quomodo aucta deinceps tragoediarum varietate aucta sit etiam actionis varietas et mobilitas inquirere. Sed hoc et longum est nec vacuum temeritatis periculo. Itaque finem facio huic disputationi, ne in lubricam divinationis semitam abripiar, eo diligentius mihi quidem fugiendam, quod a principio hoc maxime mihi proposueram, ut in his tantis rei scenicae tenebris si fieri posset nil promerem, nisi quod certis testimoniis evinci posset, dispositisque quae ita reperta essent atque in ordinem redactis ad informandam illustrandamque hanc obscuram adhuc disciplinam aliquid conferrem.

In qua re si vel tantillum profecisse iudicabor, eo verius validiusque gaudebo, quo rariora haec sunt mea otia Tanglimensia, quoque minus ob hanc rem sperare licet, posthac futurum esse, ut has studiorum laborumque meorum delicias unquam possim exhaurire.



### Errata.

- p. LII. v. 3. pro „hucusque“ lege „hucusque“  
 p. LX. extr. pro „Cleopatrae“ lege „Clytaemnestrae“  
 p. LXI. v. 3. pro „Cleopatra“ lege „Clytaemnestra“  
 p. LXI. v. 7. pro „Cleopatra“ lege „Clytaemnestra.“  
 p. XC. v. 5. pro „Thespim“ lege „Thespin.“  
 p. CH. v. 3. dele „verum esse.“

## Conspectus.

### Pars I.

Prooemium . . . . .	p. III
De rei scenicae primordiis sive de partibus theatri earumque origine . . . . .	VII
De Aeschylī re scenica . . . . .	XVII
De scena ejusque exornatione . . . . .	XVIII
<i>De scena ductili p. XIX. De scena versili sive de periactis p. XXI. De parasceniis p. XXII. De proscenio sive de logeo p. XXIII. De hyposcenio p. XXV. De scenae pictura sive de scenographia p. XXVI. De proscenii exornatione p. XXVIII. De machinis p. XXXIV. (de eccyclemate sive de exostra p. XXXIV. de machina sive de aeoremate p. XXXV. de theologo p. XXXVII. de gerano p. XXXVII. de ceraunoscopio p. XXXVII. de bronteo p. XXXVIII. de anapiesmatis p. XXXVIII. de scalis Charoneis p. XXXIX.)</i>	
De orchestra ejusque exornatione . . . . .	XL

### Pars II.

De numero histrionum . . . . .	II
De ornatu histrionum . . . . .	LXIII
<i>De endymatis p. LXVI. De periblematis p. LXVIII. De cothurnis et embatis p. LXX. De somatio p. LXXIII. De progastridio et prosternidio p. LXXIV. De personis sive larvis p. LXXIV.</i>	

### Pars III.

De arte histrionum . . . . .	LXXXIII
De actione epica sive de rhapsodorum actione . . . . .	LXXXVI
De actione melica sive de choreularum actione . . . . .	LXXXVIII
De actione dramatica sive de histrionum actione . . . . .	XCV

---

